



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit quod omnium primò in nobis appaehendit Christi merita, fides an opera.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

miliat, ne nimium præsumamus de nostra iustitia, ne similes fiamus Phariseo Luc. XVIII qui præsumebat de operibus suis. Vult enim Deus, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. i Opera nostra licet non sint pars meriti effectiuè ad salutem acquirendam cum Christi merito: sunt tamen pars, & exiguntur cum gratia ad distributionem accipiendam, & vt illa distributio retineatur. Nam sine pœnitentia & Fide salus & iustitia non distribuuntur.

## CAPVT XXV.

## ARGVMENTA.

1. *Quid sit quod omnium primò in nobis apprehendit Christi merita, Fides an opera.*
2. *Quare Fides antè omne opus accipit talia Christi beneficia.*
3. *Quòd obseruantia præceptorum retinet beneficia Christi, & quòd Christi gratia facit vt obseruentur præcepta.*



POSTolus inquit, Heb. ii. Impossibile est Deo placere sine Fide: ex quo consequitur, quòd Fides oportet sit primum omnium in homine antè omne opus, eò quòd impossibile sit vt quis Deo placeat sine Fide. Accedentè igitur ad Deum oportet credere. Sequi autem debent fidem opera Deo accepta, non præcedere: quare & Gentium & Iudæorum opera reprobantur, quia sine Fide in Christum sunt, etsi temporale accipiunt præmium, nihil tamen meriti habent in gloria. Est igitur Fides primum opus hominis, dum homo assentit verbo Dei, credit promissioni & obedit: Nam Fides quanuis sit donam Dei, attamen & nostrum assensum exigit. Roman. 10. Fides ex auditu. Primum ergo hominis  
G opus.

opus, sacrificium quod Deo placeat, est Fides in Christum: ergo & illam Deus antè omnia respicit: & primò docetur, sicuti arbor, quæ primò plantatur, & deindè fructus expectantur. Quoniam ergo Fides primum opus est, quo Deum accedimus, ideò fit quòd per solam Fidem in verbum Dei, efficiamur participes, per Sacramenta à Deo instituta meritorum & fructuum passionis Dominicæ antè omne opus, vel obseruantiam præceptorum: id quod claret in Baptismo, vbi puer baptizatus antè omne opus fit participes beneficij Christi, & adultus gratis iustificatur Fide absque operibus legis & meritis præcedentibus, Rom. 3. Ideò sola fides initio participat merita Christi antè omne opus. Et quia antequam seruatur præcepta, oportet adesse gratiam, id est, adiutorium Dei, Fides autem accipit illam gratiam, (nam Fides verbum secum portat spiritum sanctum) ergò fides sola antè opus accipit distributionem.

2. Quòd Fides antè omne opus accipit beneficia Christi, prima ratio est, vt gratiæ per Christum partæ præconium maneat integrum: Nam si Deus deberet per moueri nostro aliquo officio vel opere, ceu antecedenti quodam merito, vt distribueret suæ passionis merita, iam non esset pura & tota hæc gratia, sed in parte meritum nostrum. at dicit Apostolus Rom. 6. Gratia vel donum Dei, vita æterna: Et 3. cap. Gratia ipsius gratis iustificati estis. Deindè, ne mercenarij efficiamur, & oculo nequam ad mercedem respiciamus, & non ad puram & nudam DEI misericordiam dependentes, dum illi seruiamus, aut quòd Deo propter semetipsum non diligamus, sed propter eius dona, scilicet cælum: aut timeamus, propter infernum: Deus vult propter se amari & timeri, potius quàm propter sua dona. Si ergo per opera nostra velimus accipere Christi merita seu beneficia, hoc esset abijcere laudem gloriæ gratiæ suæ. Ephes. 1. Quoniam